



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,  
Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Invocatur Pater per Filium, 5

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](#)

## C A P V T V.

*Invocatur Pater per Filium.*

1. **I**Nvoco te Deus meus, invoco te: quia prope es omnibus invocantibus te in veritate. Tu enim veritas es: doce me (quæso) per clementiam tuam, sancta Veritas, doce me invocare te in veritate, quia hoc fieri quomodo oporteat, nescio; sed à te doceri, beata veritas, humiliter imploro. Absque te enim sapere, est despere: te vero nosse, est perfecte scire. Erudi me divina sapientia, & doce me legem tuam. Credo namque, beatus erit, quem tu erudieris, & de lege tua docueris eum. Desidero invocare te, quod quæso fiat in veritate. Quid est in veritate invocare Veritatem, nisi in Filio Patrem? Ergo sancte Pater, sermo tuus veritas est, principiumque verborum tuorum veritas: hoc quippe est verborum tuorum principium, quod in principio erat Verbum. In ipso principio te summum adoro principium. In ipso veritatis verbo, te perfecta invoco Veritas, in quo ipsa eadem veritas, diligas me in veritate & doceas.

2. Quid enim est dulcius, quam genitorem in nomine unigeniti invocare? Patrem in recordatione Filii ad pietatem infletere? Regem, charissimæ sobolis denominatione mitigare? Sic enim solent rei carceribus eripi, sic commancipati vinculis liberari; sic tristem accipientes sententiam capitum, non solum absolvit, sed insuper mancisci insolitam

tam gratiam. Dummodo iratis Principibus dilecta<sup>r</sup> prolis intimaverint Charitatem. Sic delinquentes servuli evadunt supplicia dominorum, dum pro eis intervenit dulcedo filiorum. Sic te omnipotens Pater per omnipotentis Filii charitatem postulo, educ de carcere ad confitendum nomini tuo, animam meam. Libera me à vinculis peccatorum, per co<sup>r</sup>ternum flagito unicum tibi natum; meque, cui propria merita, lethalem minantur sententiam, preciosissimæ ad dexteram tuam consendentis prolis interpellatione restaura placatus ad vitam.

3. Quem enim alium dirigam intercessorem tibi, nescio, nisi hunc, qui est propitatio pro peccatis nostris; qui sedet ad dexteram tuam, interpellans pro nobis. Ecce advocatus meus, apud te Deum Patrem. Ecce Pontifex Summus, qui non alieno eget expiari sanguine; quia proprio refulget perfusus cruento. Ecce hostia sancta, beneplacens & perfecta, in odorem suavitatis oblata & accepta. Ecce agnus sine macula, qui coram se tondentibus obmutuit; qui alapis cæsus, sputis illitus, opprobriis affectus, os suum non aperuit. En, qui peccatum non fecit, peccata nostra pertulit, & languores nostros suo livore sanavit.

### C A P V T VI.

*Hic præsentat homo Patri paſſionem Filii.*

1. **A** Spice pie Pater piissimum Filium, pro me tamen impia passum. Respice cle-